



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

11. Quatenus hæc verè tradita sint. Quæque sit Auctoris sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

aut suscipit. Quocirca intellectum potestate seu materialem non aliter voluit interire, quam ut passivus est: simpliciter autem immortalem existere: quia idem est cum intellectu agente, atque hic cum a corpore separatur, in eum sese colligit & cum eo separatur. Tuncque intellectus in seipsum sese reuocat: quoniam non amplius per inferiores facultates secundaeque vitas operatur ac foras se porrigit; sed contrahens sese totus in seipsum conuertitur, estque tunc demum id solum, quod est. Nam antea, dum esset in corpore foras progrediens, a sua substantia & natura quoquo modo recesserat, a natura sua dignitate dimotus.

Hæc sanè Simplicius. Cum quo Philoponum ac Plutarchum quadam ex parte consentientes video. Primum enim non de extrinseco, sed de humano intellectu sermonem esse, hi quoque voluerunt. Quippe de anima tractatus est: nec erat, cur de extrinseco vlllo ageretur. Deinde non plures, sed vnum ac simplicem in nobis intellectum posuerunt; nec semper, sed interdum intelligentem. Eundemque tum agentem dici quatenus operatur; tum patientem, quatenus suscipitur; tum actum, quatenus cognoscendis rebus instructus est; tum potestate quatenus ijs caret, exornariq; ac perfici potest. Ita intellectum potestate & actu eundem re ac subiecto Aristoteli fuisse scripsit Philoponus: diuersum autem tempore, quod cum antea esset potestate, mox actu tactus est. Quæque de intellectu actu tradita sunt, de humano illo intelligenda esse, qui a potestate fertur in actum. Ac demum intellectum, qui est actu, ita rerum typus in intellectu potestate describere, vt ex se ipso sit scriptor; idemque qui scribit, & cui inscribuntur typi.

Intellectus agens & patients idem.

Sed in eo magnopere dissentit a Simplicio Philopon^o, quod intellectu actu priorẽ eo, qui est potestate atq; ab eo, qui habitu dicitur, diuersum fecit Simplicius; triplicẽ illũ memorans: primũ actu, qui post progrediens infirmetur, & potestate fiat; atq; hic est alter: moxque in habitum & perfectionem exciteetur; & hic tertius nominatur. Philoponus autem tum posteriorem intellectu potestate, tum eundem cum eo, quem habitu Simplicius dicit. Duplici nimirum intellectu distincto: altero, qui est potestate: altero, qui est potestate ad actum transit.

11. Quatenus hæc verè tradita sint. Quæque sit auctoris sententia.

Intellectus agens & patients idem & anima nostra pars.

ID, in quo interpretes hi consentiunt, agentem intellectum extrinsecam substantiam non esse, sed humanum planè & animæ nostræ partem; eundemque in nobis tum agentem, tum patientem nominari: equidem arbitror esse verissimum atque Aristoteli consentaneæ affirmatum. Alioqui cum intellectum potestate, qui patients est, immaterialem, impermistum, inorganicum, impatibilem, ac sempiternum esse antea tradidisset; quomodo post de agere loquens immortalem hunc solum & sempiternum esse dicere potuisset? Nam si duo sint intellectus distincti, sanè non is solus, sed alter quoque eiusmodi est: si autem vnus & idem sint, is vtrique solus ex omnibus animæ viribus ac partibus immortalis est, atque vt est in tex. 21. lib. 2. tum ab illis, tum a corpore, tanquam perpetuum a mortali separatur. Accedit quod vt antea patientem intellectum, ita hoc loco agentem, impermistum,

& impatibilem esse ait. Et hic, inquit, intellectus separabilis est, & impermistus, & impatibilis. Quasi diceret. Hic demum est ille ipse, qui antea dicitur esse eiusmodi esse. Hæc, n. vim habere videtur rationis illud principium (& hic intellectus. Vnus igitur & idem est intellectus. Addit verò, agentem hanc substantiam esse actum: vt quoniam duas hæc in anima dixerat differentias esse oportere, & intellectus patientis differentiam docuerat esse *potestatis*; agentis quoque differentiam ostenderet esse *in seipso*; hoc est patientem dici vt suscipit, agentem vt operatur ac promit intellectionem. Video etiam agentem intellectum statim subiungi omnia facere, patientem omnia fieri. At neque ille facit, neque hic fit omnia; nisi vt ille rerum omnium intellectiones & comprehensiones veluti earum formas producit, hicque eas suscipit: & vterque sanè intelligendo; siquidem alia nulla est intellectus functio, quam intellectio. Verum intellectio ab vno in aliud intellectum non transit; sed in eo ipso suscipitur, a quo producitur. Idem igitur est intellectus, qui intellectionem promens velut intellectæ rei forma, agere dicitur; ac eam rursus suscipiens appellatur patients.

Ita hæc vtraque differentia inest in anima; atque adeo meliori modo, quam in natura: & intellectus agens est vt artifex effingendis formis aptissimus; et in inferiori tamè quadã ratione. Nam quæ in cæteris diuisa sunt & distracta, vnita cernuntur & collecta in anima. Agens & patients, artifex & materia distincta sunt reipsa, tum in natura, tum in artibus: in anima ratione duntaxat. Verum de his post pleribus in propriis commentariis.

Nunc illud quoque verè fuisse pronuntiatum dixerò; agentem intellectum non semper, sed interdum intelligere. Est enim is cum potestate permistus, dum cum intellectu patiente, cuius essentia potestas est, idem existit. Atque in nobis ipsis experimur, nos non perennem & continuatam, sed interruptam sæpissimè intellectionem animaduertere.

Simplicii tamen illud probandum non est; intellectum multo ante tempore & verò æternitate priorẽ rem anima & corpore, tum ab illis participatum fuisse. Academicum id est, non peripateticum. Quæ admodum & illud; intellectum nostrum inlitas habere cognoscendarum omnium rerum formas neque scientias nostras disciplinas esse, sed reminiscencias. Intellectus enim, si pro substantia sumatur, ipsamet est intelligens anima: si pro facultate, posterior est, non prior, quam anima. Neq; Aristoteles vllam inesse illi formam voluit; sed nouas omnes ab

F ipsomet effingi ac veluti rudi tabellæ inscribi. Essentiales autem, qui formas illas dicit, neque ipsas, neque intellectionem ab essentia distinctas; id intellectui nostro tribuit, quod ne Angelico quidem ac separato cõuenit; cum solius diuini proprium sit vt in superioribus non semel fuit adnotatum, atque hoc loco verè Philoponus prodidit. Vt enim intellectus patients nullas habet sua natura formas, sed omnes suscipit; ita nec agens illas habet, sed effingit omnes. Vterque potestas que dam ad formas hic producendas, ille suscipiendas. Ideo alter agens, alter patients appellatur.

Neque vero satis cum hoc alterum illud eiusdem Simplicij pronuntiatum constare potest; intellectum, dum ad corpus progreditur, infirmari, formis

formis illis obliteratis, efficique potestate; nec tamen eius substantiam immutari. Nam si formae sunt essentialis, neque à substantia distinctae; qui possunt ea obliterari intellectusque infirmari & effici potestate; quin immutetur substantia atque à natura sua penitus dimoveatur? Si intellectio est ipsa eius substantia; quomodo substantia maneat, & actio non maneat? Hoc enim ipsemet loquitur, qui nihil in nobis ponit, quod semper intelligat; sed intellectum ait aliquando intelligere, aliquando non intelligere.

Denique Aristoteli consentaneum illud non est; Intellectum à ratione diversum existere, veluti terminum ac formam rationis animae. Sed Platonici magis; qui animam corporis, intellectum animae, unitatem, seu deitatem vnam intellectus terminum esse diciturunt. Aristoteles vnamque animam simplicem formam ac naturam posuit, pluribus praedicam facultatibus ad agendum comparatis: intellectumque & rationem rem eandem in anima nostra esse voluit; nisi quod intellectus generale quiddam significat, quo superioribus naturis cognata est; ratioque id, quod illius proprium est, ac motu quodam, inquisitione, & progressionem ex vno in aliud costat. Quare intellectum quidem, seu intelligentem ac rationalem animam partem animae appellavit; ac fortasse etiam terminum, quatenus supremus est ac primus animae gradus: at intellectum rationalem animae partem, nec dixit, nec credit. Nisi partis nomine facultatem & quasi virtutis, non substantiae, partem intelligas; neque intellectum dicas intelligentem animam, sed facultatem eius. Terminum ite non dixisset, nisi accidentarium; sicut facultates omnes & accidentia subiectorum suorum comparatione. Substantialis autem terminus ratio potius intellectus, quam intellectus rationis diceretur. Siquidem intellectus generalior, ratio specialis magis & solius hominis propria est: dum immateriales substantiae caeterae absolute ac simpliciter intelligunt, sola rationalis anima nostra ratio cinando: vnde tum intelligens, tum rationalis nominatur.

Iam verò Philoponus magnopere erravit hoc nomine, quod intellectum habitu, actu & agente, confundit; quos Aristoteles distincti plurimum: immo & opposuit, veluti facientem & factum. Etenim intellectum habitu eum dixit, qui singula factus est; nec operatur, sed operari potest: agentem autem eum, qui omnia facit. Hunc arti similem esse voluit, illum operi, patientem materiae. Intellectumque agentem induxit, qui intellectum imperfectum ac rudem perficeret & exornaret atque à potestate ad habitum traduceret. Si agens igitur intellectus habitu antecedit, veluti efficiens effectum; multò magis prior fuerit intellectus actu, qui ex aequo habitu operatur. Accedunt illa verba (& hic intellectus substantia actio est) & illa (separatus est id solum quod est) quae etsi Philoponus intellectui habitu accommodare conetur, nimiam tamen illis vim infert, neque vliomodo aptari possunt, ut post ostendam.

Interim maneat intellectum potestate dici quamdiu imperfectus est, rudis, aptusque perfici & exornari: agentem, quatenus perficit, rerumque intellectuum formis productis exornat: patientem, ut eas suscipit, illisque perficitur & exornatur: habitu, ut illis susceptis perfectus iam est &

ornatus, promptusque ac sibi sufficiens ad operandum: actu demum, ut ex aequo habitu operatur. Sic enim in superioribus quoque in digressionem ad textum primum definitum fuit.

Auerrois ac Latinorum commenta recensentur.

H Actenus Graecorum interpretum commentationes ac sententiae, tum commemoratae, tum declaratae atque examinatae fuerunt. Facileque intelligitur, quid de Aristotele agentem & patientem intellectum asserente oporteat credere. Quamque procul ab illius mente aberraverint Auerroës & qui eum sequuti sunt Latini. Is agentem intellectum propterea voluit excogitatum fuisse; non ut quidquam intelligat aut iudicet (nihil enim, inquit ille, intelligit ex ijs, quae sunt hic, sed omnis cognitio patientis intellectus est. Siquidem cognoscere & intelligere nil aliud est, quam intellectuales formas suscipere; haec in patiente, non in agente, intellectu suscipiuntur). Verum ut obiecta intellectibus formaque intellectuales faciat atque patienti praeparat intellectui.

Sic igitur ratiocinatur. Quem admodum se habet ad sensibilia sensus, ita se habet materialis intellectus, què nos patientem dicimus, ad intellectibilia: ergo & sensus à sensibilibus & intellectus ab intellectibilibus susceptis patitur; etsi alio atque alio passionis genere; ille corruptente, hic perficiente duntaxat. Hinc verò duo consequentia sunt. Alterum est; intellectum materiale abstractam neque cum corpore permixtam virtutem esse. Quippe formas omnium suscipit, cunctaque intelligit; vel etiam seipsum, in se conuersus. Alterum; cum materiale agere nequeat in immateriale; & ideo nec formae ut sunt in materia mouere intellectu possunt; sed solum ut sunt formae; hoc est abstractae atque à materia separatae; neque materialia & sensibilia phantasmata sunt actu, sed potestate intellectibilia: praeter materiale intellectum alio agente opus esse, qui obiecta illa de potestate ad actum extrahat, faciatque immaterialia & actu intellectibilia, ut materiale intellectum mouere agendo queant. Id autem fit, dum formae à materia & vniuersae naturae à conditionibus singulis, quibus conuersa sunt phantasmata, separantur. Ab eo scilicet intellectu, qui est immaterialis, separatus, & intellectibilis actu. Cum, n. separatione hac & abstractione res eadem de vno in alium ordinem transferatur; quodque potestate erat, fiat actu; & quod erat singulare, fiat vniuersale; ac demum phantasma sensibile intellectibus euadat forma; nimirum ab agente aliqua & verò intelligente causa id fieri oportet. Hac sola ratione permotum ait Aristotelem intellectum hunc posuisse, quod vniuersae naturae nullum extra animam habeant esse. Quod si haberent, ut Plato credidit, nihil illo opus fuisse.

Iam verò ab intellectu materiali diuersum eum esse, hac vna ratione colligit. Quem admodum abstractorum intellectuum multitudinem non nisi ex actione diuersa caelorumque varia conuersione cognoscimus; ita intellectuum horum in anima nostra (si quidem per eos agimus quando cumque volumus) distinctio concluditur: quoniam alia est atque alia illorum functio. Agentis quidem abstrahere atque actu intellectibilia facere; patientis autem ea recipere, cognoscere, & iudicare. Atque ut hic caeteris rebus impermissus & ab eis separatus esse debet, ut omnes suscipiat & intelligat

OOOO ij

Intellectus & ratio ut differat.

Quid scio Philoponi.

Vnus vt in nobis intellectu.

intellectus agentis necessitas.

Intellectum agentem à patiente diuersum esse.